



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dictamina Seu Scita Variæ Doctrinæ, Politicæ, Moralis, Stoicæ, Christianæ, & Spiritualis

Nieremberg, Juan Eusebio

Paderbornæ, 1711

Decas VIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50306)

à malo, ille vulgus coërcet. Multitudo non paret honeſtati, ſed jumentorum inſtar adducenda eſt ictu aut metu. Ingenuitatis illud indicium eſt, hoc mancipii animique ſervilis.

70. Timor eſt occulta admonitio naturæ ad mala evitanda: nam quæ inevitabilia ſunt, timeri non debent, cùm præcaveri non poſſint. Timor in pericula valet, non in damna: quæ ubi certò noveris eventura, in ea erigenda eſt mens, & præſtolanda virili animo, non metuenda ignavo.

DECAS VIII.

71. Plus vexamur timoribus, quàm malis, & dum ante neceſſitatem angimur, ultra neceſſitatem affigimur. Mala ſemel nos torquent, timor aſſiduè. Aſt nunquid fatuum eſt, perpetuò timere, quæ nec ſunt, nec poſſunt eſſe perpetua; Multa, quæ non eſſent, ſunt: à metu incipiunt eſſe. Timor plura mala facit aut majora, atque ità bis patimur mala, dum ſunt, & dum formidantur.

72. Meticuloſus multa credit, parùm audet; ſola mali ſuſpicio retundit generoſos.

rosos spiritus, & animum cohibet digna
aufurum. Metus facillimus est credulita-
tis proxeneta: certa effingit, quæ even-
tura non sunt, imò plura, quàm possint
esse. Plura enim possunt esse, quàm eve-
niant, & hæc omnia metus admittit.

73. Ex timore non sunt metienda peri-
cula: sæpe enim ubi major securitas, ibi
majus discrimen. Moderatus timor plùs
habet securitatis, quàm nimia remissio:
ille animum continet, hæc distendit.

74. Judico tamen minùs spei dandum,
plùs timori. In hac enim vita mala abun-
dant & bonis certiora sunt. Casus sinistri
quotidie eveniunt, & calamitates sese ag-
glomerant: fors bona rarior est, nume-
résque mille miseros, vix unum fortuna-
tum.

75. Non diffiteor: sinister rerum inter-
pres metus est, at non semper mendax.
in tanta malorum congerie quid facilius,
quàm in ea provolvi? Spes fallit sæpissi-
mè, quia pauciora bona sunt, & plures,
qui procantur.

76. Nemo pauperior, quàm qui spem
non habet, neque ulla necessitas major,
quàm

quàm ubi illa non suppetit. Nunquam bona defuerint, ubi, quod supremum restat, spem habemus. Illa una tristioribus rebus adest, nec sequitur fortunam, sed ubi omnia nos derelinquunt, sola illa perstat fidus Achates.

77. A bonis præteritis non mitigantur mala præsentia; gustum autem præsentis voluptatis exaggerat dolor antecedens. Bona expectata decipiunt, mala tolerata lætificant.

78. Sensum rebus accommoda. De modicis non doleas multùm, de magnis modicè læteris. Non est prudentis quacunq; ex causa tota passione effundi. Præverte animo, quod eventurum times; si prævideris, forsitan non timebis, aut non adeò. Quid enim est, unde angeris? Expende penitiùs omnia, comperies causam afflictionem minorem esse. Generosè ferendum est, quod æternum non est, quod ipsa tolerantia imminui potest, quin & absolvi.

79. Non ea est hominis calamitas maxima: quòd viventi semper mors insidietur; major est, quòd ipse sibi in interitum vivat,

vivat, id est in lucem genitus, ut occumbat. Majorem se ipso hostem non habet: nam qui malè vixerit, minùs mori formidat, quàm qui deperit vivere.

80. Contende bene agere, & affluent tibi bona. Tibi proficis, si studeas aliis prodesse. Gravaris multùm curando te, tuáque commoda; neque habes, quod ab aliis expectas: proficiendo illis, proficis tibi. Parùm agis, si aliis non obfueris; at benefaciendo & proderis illis, & tibi: beneficia enim pariunt amicos. Sensatè Attalus: *Deliciosius est amicos facere, quàm habere*: saltèm æquè bonum est, nonnunquam utilius.

DECAS IX.

81. Nulli obesse innocentia est, alteri non obesse justitia. Verùm hæc duntaxat pars media charitatis est, altera est misericordiæ: perficitur autem ex utraque. Nam ad non obesse, quod est justitiæ, desideratur ut prosis, quod est beneficentiæ.

82. Regula justitiæ nulla exactior, ac Amor sui: metiendo alios ex te, judicabis de alienis, uti de tuis. Si beneficium æstimes, alteri non obfuisse, sat injustus es.

es.